


AB

153596





1. Baumgarten / Sigism. Jac. / Instit.
tutionum Pharmaceuticarum, parti-
cula ^{1^a} ~~prima~~ de Interpretatione
Scripturae Sacrae. Halle, 1752.
2. 10 Symbole theotica, Halle, 1752.
Commentatio in
3. Versionem theoticam Symboli
Athanasiani; Halle, 1752.

Oct

INSTITUTIONE
HERMENEVTICA

IN INTERPRETATIONE
SCRIPTURAE SACRAE

DE IUSTITIA HERMENEVTICA
VEL PROLEGOMENA






1

SIGISM. IACOBI BAUMGARTEN
INSTITVTIONVM
HERMENEVTICARVM
PARTICVLA PRIMA
DE
INTERPRETATIONE
SCRIPTVRAE SACRAE

AD
BREVIARIUM HERMENEVTICI
§. I--III
SEV PROLEGOMENA.



HALAE
APVD IOH. IVST. GEBAVER MDCCLII.



HERMENEVTICARVM
INSTITVTIONVM
DE
INTERPRETATIONE
SCRIPTVRARVM SACRARVM



AESTVMATISSIMO
FRID. THEOD. LADEMANNO

SAL. PLVR. DIC.


P R A E S E S.

Non concedam, vt illi mihi vel gratiores vel iucundiores saltem esse videantur, qui meam operam ad sua defendenda aduocant, quam qui suam mihi addicunt, atque solemnem a me scriptorum defensionem suscipiunt: quos aequae non patiar in lucem academicam prodire, sine publica approbatione et commendatione mea, speique de se factae significatione, qua neminem illorum destituendum putauit. Licet igitur, quod agmen ducis eorum, qui has disputationes *hermeneuticas* publice defensum ibunt, ipsiusmet laboris huius consiliique a me initi rationibus reddendis hic opus esse existimem, **T**VI tamen officiique, quod **T**IBI debeo, non immeritor ero. Quam ob rem breuiter duntaxat et summatim rationes commemorabo, quibus potissimum inductus ad hunc laborem subeundum animum appulerim, quae duplicis generis sunt. Vnum ad auditores spectat, quorum commodis dupliciter ea re consuli potuit. Postquam enim mandato regio bene multis disputandi necessitas imposita est, qui vel tempore vel viribus a scribendo ea, quae quemquam legisse non poeniteat, prohibentur, quibus ex eiusdem legis iussu a praeceptoribus subueniri sufficere debet, quod disputent: prouidendum fuit copiae doctrinarum et vsui futurarum, et communem veris sacrarum litterarum cultoribus intelligentiam non egressarum, et sine mole sumtuosa finiendarum. Quod rectius fieri posse non putauit, quam tractatione disciplinae alicuius sanctioris, in plures partes distribuendae, a singulis pro rata portione haud difficulter disputandas. Accedit, quod eadem opera suntibus illorum, quorum interest, minuendis prospicitur, si disputationes impensis librariorum eduntur, qui in plurimum eiusdem argumenti, mediocrem librum vendibilem effecturarum copulatione facilius id a se impetrari patiuntur, quam singularum diuersi argumenti editionem. Alterum genus rationum latius patet, atque ad alios etiam pertinet, quorum desiderijs satisfaciendum fuit. Nam ex quo breuiarium *hermeneuticae sacrae* a me scriptum plures et lectores habuit et doctores, qui me non audierunt, nonnulli, litteris etiam ad me datis, de difficultate intelligendi pleneque perspiciendi quaedam loca libri, quem sibi reliqua perplacere affirmarunt, non contemptim sed dolenter conuesti sunt, rogaruntque vt, quum harum difficultatum quidquid sit vel ex terminis *technicis* neque *graece* neque



que *latine*, sed *germanice* positis, qui plerisque aliter consuetis peregrini videntur, vel ex praetermissione exemplorum, vel ex distincte concisa breuitate sermonis enasci apprime intelligerent, illis medendis ipse operam darem. Quibus morem gerendum esse duxi, partemque querularum non iniucundarum confestim leuatum iui in altera breuiarii editione, reliquam alii operi, quod illico meditari coepi, reseruau, ne librum breuitate saltem commendabilem ipsa emendatione deteriozem efficerem. Satis diu, fateor, distuli nouum hunc laborem, aliis prius condictis iam nimium obrutus, diutius tamen tardare nolui, postquam in praefatione tertiae editionis eum publice recepi, facta mentione illustrationum quarundam laudabili quidem industria et operose diligenterque, meis tamen ingratis scriptarum neque lectoribus supra memoratis animum expleturarum. Fidem igitur datam liberaturus tria haec praestare studui, vt *primum* non nuda breuiarii versio *latina* prodiret, sed accessionibus amplificata, quibus disciplinarum compendia incommode dilatantur et onerantur, vberior vero tractatio aegre et difficulter caret ad confirmandas, illustrandas et applicandas doctrinas propositas insigniter proficuis; *deinde* vt ordo libri nihil immutaretur, neque accessiones, quibus locupletari non distrahi aut perturbari debuit, in digressiones degenerarent, speciem saltem illarum praerberent, sed opportune suoque singulae loco infererentur; *denique* vt ea sollicito distinguerentur scienter praeterenda, quae scholis tantum sermonibusque doctorum disciplinas viua voce praeueniunt conueniunt, atque audita et placent et profunt, lecta vero vel plerisque displicent vel paucissimos iuuant, ne, cum me labore habendarum huiusmodi scholarum, tum auditores necessitate, vtilitate saltem, operae in illis non grauate aut inaniter collocandae, eximere voluisse viderer. Verum affatim iam de me: ad TE redeundum est, cui quae vere lubenterque gratuler habeo complura; vitam in academia vnum et sesquianuum recte, diligenter et laudabiliter actam, diligentiam assiduam in auscultandis et aliorum et meis institutionibus dogmaticis, exegeticis, antitheticis, theol. moralis et litterariis positam, proficiendi ardore factisque progressibus non destitutam, bonam spem, quam praeceptoribus TVIS mature fecisti, qui stipendii *Krugeriani* ex voluntate legatoris ab ordine theologico ciuibus TVIS, sed probis, frugi et bene moratis, impertiendi munificentia TE non indignum iudicarunt, atque doctrinam dexterritatemque, quam iu conflictu publico aliis pariter ac mihi approbatum ibis. Faxit benignissimum DEIO. M. numen, cui haec et innumera naturae et institutionis beneficia accepta refers, vt ea ipsi debere, plurimumque in dies ab ipso indigere semper memineris, iisque TE cumulandum fortunandumque ipsi obseruanter et confidenter permittas, atque adco continua fructuum et capientorum et ferendorum perpetuitate perfruaris feliciter. Dedi Halae ad Salam in acad. Frider. d. XXVIII. Sept. cIo Io ccccli.

INTRO-



INTRODVCTIO.



§. I.

*I*nterpretem scripturae sacrae constituit habitus Quid sit in-
terpres. efficiendi verum illius sensum. Quae definitio duas notas comprehendit aequae necessarias. Una ab obiecto desumpta, si curatius consideratur, tribus momentis absolvitur. Primum enim requiritur ab interprete, ut non solum unam alteramue sententiam, propositionem aut particulam sacrarum litterarum perspectam habeat, vel plurium sparsim carptimque obuiarum atque diuulsarum intelligentia gaudeat, sed vel integram vel memorabilem potioemque illius partem intelligere possit: deinde ut non quouis sensu contentus sit, aut obuium quemlibet amplectatur, sed verum, hoc est sententiae et intentioni scriptoris conformem, perscipiat: et ut veri huius sensus denique rationes intelligat, ad conuictionem sufficientes, quibus de veritate illius constare possit. Altera ad subiectum rationemque formalem pertinet, atque in eo consistit ut, si quis interpretis nomen mereri debeat, non facultate solum verum etiam facilitate polleat ea omnia peragendi, A quae

II INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

quae adhuc commemorauimus; quod sine frequentioris exercitii assiduitate nemo consequitur.

Apparet exinde; 1) non sufficere ad interpretem memoriam lectarum auditarumque interpretationum tenacem, cum expedita earundem recordatione; licet ea praeditus et interpretem mentiri et ipsemet sensum interpres euadere facilius possit, si intelligens usus accesserit: 2) neque tamen postulari ab interprete inuentionem sensus inauditi et a nemine vnquam perspecti, quae tantum abest ab eo gnaris rerum arbitris artisque peritis approbando vel commendando, vt potius plerumque nec immerito suspectum faciat; sed interpretis partibus satisfieri posse eruendo efficiendoque vero sensu vel dudum cognito innumerisque perspecto, siue iisdem rationibus et adminiculis obtineatur, quibus alii eundem constituerunt, vel eius gnaro et conscio vel ignaro et incurio interprete, siue nouis aliter saltem subductis ordinatisque: 3) gradibus admodum differre interpretes tum extensiuus, qui magnitudine et ambitu cognitionis circumscribuntur, quam intensiuus, qui bonitate eiusdem determinantur; eoque maiorem melioremque interpretem esse, quo quis et plurium scripturae sacrae partium sensum et pleniorum et veriorum et certiorum et pluribus melioribusque rationibus fultum, et euidentius distinctiusque et breuius faciliusque intelligenter cognitum habeat atque perspectum: et 4) neminem mortalium absolute perfectum expletumque omnibus suis numeris interpretem scripturae sacrae dari, insignemque artis imperitiam, ne quid grauius dicamus, proderet, qui incrementorum capiendorum studio et officio nullum apud se locum relinqui existimare velit. Ἐκ μέρους γὰρ γινώσκομεν, καὶ ἐκ μέρους προφητεύομεν, 1 Cor. XIII, 9.

§. II.

Interpretationis synonymia.

Variae deprehenduntur voces et locutiones, quibus hoc interpretandi negotium insigniri solet. A voce *graeca* ἐξηγησιδαι interpretationem vocamus *exegetin*, interpretem vero ἐξηγητήν, atque *exegeticum* quidquid interpretationem vel exhibet vel iuuat. Neque minus et ἐρμηνεύειν atque διερμηνεύειν librum vel sermonem dicitur interpretis *Luc. XXIII, 27*; et προφητεύειν 1 Cor.

1 Cor. XIII, 8, XIII, 1. 3. 4. 5. 6. 22. 31. 39; et *διανοίγειν τὰς γραφὰς* Luc. XXIII, 23; et *ἐπιλύειν αὐτὰς* Marc. III, 34; et *ἔρρυνᾶν τὰς γραφὰς* Io. V, 30; et *ἰδηγεῖν τινὰ* ad scripturae sacrae intelligentiam Act. VIII, 31, si cui sensum illius explicat.

Quoties vox *ἐξηγεῖσθαι*, quae vi originis idem est quod *deducere*, in sacris litteris occurrit, latiore sensu sumitur, atque vberiorum explicationem et enarrationem rei incognitae significat Luc. XXIII, 35. Io. I, 18. Act. X, 8. XV, 12. 14. XXI, 19. Ibidem tam simplex verbum *ἐρμηνεύειν* Io. I, 39. 43. VIII, 7. Hebr. VII, 2, quam composita *μεθερμηνεύειν* Matth. I, 23. Marc. V, 41. XV, 22. 34. Io. I, 41. Act. III, 36. XIII, 8 atque *διερμηνεύειν* Act. VIII, 36. 1 Cor. XII, 10. XIII, 5. 13. 27, neque minus nomen verbale *ἐρμηνεία* 1 Cor. XII, 10. XIII, 26 de negotio transferendi aliquid ex vna lingua in aliam seu vertendi adhibentur, quod *latine* etiam interpres nonnunquam significat, ut *ἐρμηνευτής* Gen. XXXII, 23. Ex significato vocis compositae *δυσερμηνευτος* Hebr. V, 11 vsus illius supra memoratus confirmatur. De *προφητεία* conferri poterunt, quae in *der Auslegung des Briefes an die Römer* p. 681 etc. disputantur. Mentio 2 Pet. I, 20 facta tam *προφητείας γραφῆς*, quam *ἰδίας ἐπιλύσεως* minus commode huc trahitur a nonnullis, quum rectius de reuelatione diuinitus in litteras relata explicetur, quae propriae euolutionis seu excogitationis sui arbitrii apud viros diuinitus actos fuisse negatur. Facultate hac praeditus in sacris litteris dicitur cum *δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς*, Act. XVIII, 24 etiamsi curatius erudiendus sit, et edocendus res diuinas v. 26: tum *ἐντεροφύμενος τοῖς λόγοις τῆς πίστεως*, licet opus habeat *τοῦ προσέχειν τῇ ἀναγνώσει* v. 13.

§. III.

Quum *omnis scriptura sacra diuinitus inspirata sit, et utilis ad institutionem, ad conuictionem, ad emendationem, ad manuductionem in iustitia, ut perficiatur homo Dei, ad omne bonum opus instructus*, 2 Tim. III, 16. 17, atque ex theologia dogmatica constet, 1) verbum DEI vnicum esse salutis medium ordinarium, ad ipsa sacramenta, quae eo nituntur, necessarium, quo omnis hominum conuersio, regeneratio, illuminatio, sanctificatio

Interpretandi habitus cuius utilis theologo necessarius est.

III INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

ficatio et confirmatio peragitur; 2) scripturam sacram, quae indubium DEI verbum in litteras relatam complectitur, vnicum esse sufficiens doctrinae salutaris principium, atque fontem normamque credendorum, agendorum et sperandorum; et 3) perspicuitatem illius aequae ac efficaciam, tam Dei perfectionibus quam hominum naturae conuenienter, ita ordinatam esse vt vsum eiusdem eumque legitimum requirat: facile inde consequitur, vt *habitus interpretandi scripturam sacram non solum cuius homini salutis cupido perquam utilis sit et magno-pere proficuum, atque nemo illius studio sine neglectione iuris sui pariter ac officii supersedere possit; verum etiam aliorum doctori, sacrorum administro, et theologo plane necessarius*, qui illo ad singulas scientiae sanctioris partes summopere indiget, eoque in obeundis muneris sui partibus sine praeuaricatione carere nequit.

Vt nemo iure suo proprii examinis et disquisitionis voluntatis diuinae in sacris litteris exhibitae, quod non hominum sed Dei beneficio habet, priuandus est aut libertate scrutandi interpretandique scripturam sacram interdicens; licet vsus publicus suis limitibus circumscribi debeat, neminique nisi explorato et rite constituto concedendum sit, vt publicum sacrarum litterarum interpretem agat aliosque sensum illarum doceat: ita nec quisquam eximi potest ab obligatione communi; quae tamen neque absoluta est, neque ita vniuersalis vt ad singulos vel aequaliter vel omnino pertineat, sed hypothetica atque cuiusuis statui attemperata; quod non solum praecepta quaeuis occasionem praestationis requirunt, atque adeo ipso hoc officio legendi meditandi et interpretandi scripturam sacram singuli tenentur pro diuersa conditione tam facultatis internae viriumque, quam opportunitatis externae subsidiorumque, verum etiam salutare doctrinae diuinitus reuelatae homini profunt siue proprio studio ex scriptura sacra hauriantur, siue aliorum ope innotescant, neque omnis illarum ignorantio seu vltioris cognitionis defectus, sed contemptus et neglectus, vitiõ vertatur. Quae omnia ex *theol. moralis* §. 104, 117, et 123 vberius effici possunt. In theologo vero et ciuitatis sanctioris

ctioris doctore longe maior obligatio et necessitas huius habitus interpretandi locum habet, quae tanta est vt nomine suo indignus sit, si illo destituatur: quod ipsa theologiae natura et definitio indubium reddit, atque *theol. moralis* §.169, 198, 199, 202, 203 et 210 copiosius demonstratur. Recte igitur pronuntiarunt, qui perhibuerunt *theologum nasci in sacris litteris*. Licet enim theologia solo interpretandi scripturam sacram negotio non abfoluatur, neque vna haec facultas et dexteritas doctorem sacrum efficiat: indubium tamen est, *exegeten* principem scientiae sanctioris constituere, sine qua doctrinae salutare neque ex genuino et adaequato principio cognoscendi deriuari, neque aliis approbari legitime recteque applicari, neque ab errorum insimulatione pariter ac discrimine vindicari et defendi poterunt. Ex pontificiorum sententia in alia omnia disceditur. Quod erroribus tribuendum est, quos amplectuntur, de fide implicita, de efficacia sacramentorum et cultus religiosi ex opere operato, de auctoritate ecclesiae infallibili, cui omne iudicium de diuina origine integritate partibusque pariter ac sensu scripturae sacrae deferunt, de obscuritate, ambiguitate, insufficientia sensuque multiplici librorum diuinitus scriptorum, de licita et necessaria prohibitione lectionis sacrarum litterarum a singulis instituendae. Vnde euenit, vt rudes et ignari scripturae sacrae supremas dignitates sacras ipsumque pontificatum maximum obtinere, atque honoribus academicis doctoris theologiae condecorari potuerint; quod de ANDREA CAROLOSTADIO dignitatem doctoris theologi nunquam lectis bibliis consecuto propria ipsiusmet confessione constat. Quod nemini tam mirum et incredibile videbitur, quam mirandum dolendumque merito est, dari inter euangelicos rectiora edoctos professosque, qui inexcusabilis neglectiois studii scripturae sacrae rei, id agunt vere, licet inscianter, vt ipso scientiarum et elegantiarum studio importuno, praepostero et male collocato ignorantiam barbariemque ciuitati *christianae* iuuehant, quae ab inscitia scripturae sacrae inseparabilis est. Dabimus igitur operam, quotquot rei *christianae* atque sacris purioribus cupimus et volumus, vt maiorum nostrorum vestigia premamus, cum a reformationis sacrorum tempore, qui se non arroganter sed modestiae et obsequii causa doctores scripturae sacrae vocare maluerunt

VI INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

maluerunt, quam theologiae ab eadem vacuae et diuulsaе, tum antiquissimae vetustatis populi CHRISTI, in quo ne grauiissimi quidem doctores, teste PETRO *Apostolo* apud CLEMENTEM *Alexandrinum Stromat.* lib. VI c. XV edit. POTTERI p. 805, οὐδὲν ἀ-
 ρεγ γεαφῆς nihil quidquam sine scriptura sibi sumserunt pronun-
 tiandum; quod satis diu obtinuit, adeo vt ipso adhuc MVHAM-
 MEDIS tempore *Christiani* ab hoc infensissimo criminatore *scri-
 pturarii* laudabili conuicio vocari consueuerint vna cum *Judaeis*,
 licet longe maior pars vtriusque ciuitatis sacrae a veritate illius de-
 nominationis dudum degenerauerint.

§. III.

Quid sit her-
 meneutica sa-
 cra.

Omnis interpretatio suas regulas habet, quibus dirigitur, etiam si ab ipsomet interprete ignorentur, vel naturalem dispositionem et instinctum facultatum cognoscendi secuto, vel aliorum exempla imitato, atque solius vsus frequentioris ope per expectationem casuum et euentuum similium edocto. Conscientia seu cognitio harum regularum artem interpretandi seu *exegetin artificialem* atque disciplinam *hermeneuticam* constituit; quae ad scientiam euehitur, si omnes hae regulae ad interpretationem necessariae cum rationibus suis distincte cognoscuntur. Quam ob rem *scientiam regularum interpretandi scripturam sacram* merito vocamus *hermeneuticam sacram*.

Rectius agunt atque legibus bonae methodi et *ὀνοματοποιίας* conuenientius, qui *hermeneuticam sacram* ab *exegeti* et *theologia exegetica* distinguunt, quam qui vtrique voci *technicae* eundem significatum tribuunt, licet originum significationes parum aut nihil admodum differant (§. II). Subintelligitur vero voce hac adiectiua denominationis instar posita, aliud nomen substantiuum *graccum* eiusdem generis, τέχνη, vel διδασχὴ vel ἐπισήμη. Diuturnior et curatior vsus interpretandi aliquam saltem artis peritiam producit, quam vel sibi ipse forinat interpres vel ex aliorum artis peritorum interpretationibus sensim imbibit; et cuius gradus aequae diuersi sunt ac ipsiusmet habitus interpretandi (§. I). Duo igitur requiruntur ad *hermeneuticam sacram* strictius et adaequate sumtam: primum, vt ratione obiecti habita ambitus et complexus

plexus regularum ad sensum scripturae sacrae efficiendum necessariorum et sufficientium perspiciatur; alterum, ut habito ad subiectum rationemque formalem respectu hae regulae non solum distincte cognoscantur, verum etiam in nexu, quo et inter se cohaerent, et cum rationibus suis coniunguntur, sagaciter intelligantur atque adeo demonstrantur. Ex quo consequitur 1) non sufficere ad hanc scientiam, ut quis terminos et formulas artis crepet, aut nonnullarum regularum peritia et obseruantissima applicatione reliquarum inscientiam compenset: et 2) ab utroque extremo cauendum esse interpreti, ut neque regulas inani subtilitate multiplicet, numeroque legum, et itineris per ambages instituti longitudine, scientiam metiatur, eoque se intelligentiorem existimet, quo operosior euadit et artificiosior vel facillimorum et euidentissimorum oraculorum interpretatio; neque regulas ad nimiam paucitatem redigat, cum detrimento et iactura vel distinctae cognitionis vel sufficientis utilitatis, vel certae et indubiae conuictionis.

§. V.

Scientia regularum interpretandi neque absolute necessaria est, neque sola sufficit ad formandum interpretem (§. III. I.): *multum tamen prodest ad habitum interpretandi* celerius et facilius *producendum*, emendandum, augendum *perficiendumque* felicius, ad inanem operam, longiores circuitiones et errores innumeros effugiendos, ad veri certique limites rectius perspiciendos, atque ad interpretationes demonstrandas, aliisque approbandas; *necessaria vero est ad controuersias exegeticas recte et scienter dirimendas*, falsas interpretationes confutandas, veras autem ab aduersariorum impugnationibus vindicandas tuendasque. Theologus igitur ad bene multas scientiae sanctioris partes ineptus deprehenditur, si ab ea derelictus interpretem scripturae sacrae agit regularum rationumque interpretandi vel plane ignarum, vel illarum confuse duntaxat cognitarum, atque adeo artis tantum inscienter comparatae, peritum.

Vnus et necessitas illius.

Quod in eloquentia locum habet, ut non solum facundi disertique declamatores, verum etiam boni et eloquentes oratores deprehen-

dan-

VIII INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

dantur, qui rhetores dici nequeunt, ob ignorationem artis et scientiae rhetoricae: idem in interpretatione euenire nemo facile inficiabitur. Quam ob rem non incommode *hermeneutica* in *docentem* et *utentem* dispelcitur, quarum prior altera difficilius caret, quam haec illa destituitur, a qua tamen mirifice iuuatur et perficitur. Ipsa enim *theoria* ne perspici quidem euidenter aut intelligi scienter poterit, si a *praxi* et applicatione exemplorum penitus diuellitur. Tantum igitur abest, vt operam perdant tiro-nes ad interpretationem formandi, in audiendis vel legendis in-terpretationibus aliorum, artis et scientiae peritorum, collocatam antequam praëcepta *hermeneutica* didicerint, vt potius rebus suis egregie consulant, sibi que euidentiore, distinctiore et foe-cundiorum regularum intelligentiam prospiciant, si ea ratione praeparati ad hanc scientiam imbibendam accedant, atque ali-quam saltem illarum operationum notitiam afferant, quarum re-gulas, quibus dirigi determinarique debeant, intelligere cupiunt. Multo minus autem solius *hermeneuticae* docentis tractatione ter-minandum est interpretandi studium, quum vel praestantissimae scientiae *hermeneuticae* longe peritissimi et difficulter et perperam saepe applicent regulas, ipsorummet praceptorum opportuna recordatione destituti, si vsu et exercitio huius applicationis ca-ruerint: quod scientiae certe tribui nequit, quae ipsum hunc vsum praxeos imperat atque enixissime vrget.

§. VI.

Solius textus
originalis
certam dari
interpreta-
tionem.

Quum diuina inspiratio scripturae sacrae, quae sermonis verborumque pariter ac rerum vocibus significandarum fuit, atque per ipsum finem reuelationis diuinitus in litteras relatae, certae ac indubiae, esse debuit, ad textum duntaxat origina-lem pertineat, seu libros sacros, prout a scriptoribus spiritu DEI actis consignati fuerunt; nulli autem versioni, licet antiquissi-mae, competat; atque adeo certus scripturae sacrae sensus ex solo illius textu originali erui aliisque approbari possit: *herme-
neutica* sacra interpretationem textus originalis librorum diui-nitus scriptorum praecipit et dirigit, qui solus obiectum prop-rium et adaequatum illius constituit. Hinc etiam intelligitur
cur

cur interpreti scripturae sacrae regulis philologicis, atque grammaticis opus sit iisque longe pluribus, quam si linguae originales consuetudine quotidiana innotescere nondum desissent, quarum bene multae voces et locutiones clare cognitae, atque solo usu confirmatae ad significatum determinandum sufficiunt, quae in linguis mortuis difficilius cognoscuntur, nec nisi distincte perspectae hunc significatum praestant, atque sensui eruendo inseruiunt.

Versionum igitur hypothetica tantum inuestigatio locum habet apud interpretem de sensu scripturae sacrae efficiendo sollicitum, posita scilicet assumtaque vel examinata et euicta cum textu convenientia. Neque authenticae dantur librorum sacrorum versiones, aequalis cum textu auctoritatis: quae nec *syriacae* noui testamenti versionem competeret, etiamsi certo constaret aut probari posset, illam confectam fuisse a MARCO vel LVCA, quod nonnullis visum est; neque *graecae* veteris testamenti, quam septuaginta interpretum vocare solemus, iure tribuitur, licet a scriptoribus librorum noui testamenti admodum frequenter adhibeatur et excitetur, ac quotiescunque sic producitur, tanquam pars indubia ipsiusmet textus, quem ingreditur, ad obiectum interpretationis merito referatur; nec denique *latinae vulgatae* vindicari potest, quae ex antiquioribus in hunc censum perperam relatis omnium ineptissima est ad tuendam cum aliqua saltem rationis specie adeo honorifici nominis veritatem, siue vetustior consideretur, quam et *italam* vocant, siue recentior *hieronymiana*, quarum neutra sibi semper constitit vicissitudinum experis. Neutiquam tamen interpretem usu versionum interdicimus, qui eximiae nonnunquam vtilitatis est, ipsarumque interpretationem requirit, dummodo adminicula et subsidia interpretationis oraculorum diuinorum cum obiecto illius non confundantur, multo minus vero in principium interpretandi conuertantur. Neque minus iisdem rationibus efficitur, critica disquisitione integritatis textus interpreti opus esse, atque legitima diiudicatione verae certaeque lectionis, quoties plurium diuersarumque lectionum varietas huiusmodi examen requirit ad comprobendam sensus constituti veritatem: quum discrimine hoc

B

vel

X INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

vel penitus neglecto vel soli arbitrio editoris libri, in quem incidimus, derelicto, ipsa textus originalis interpretatio aequae hypothetica euadere subinde possit, quam versionum.

§. VII.

Vindiciae
hermeneutic
sae sacrae.

Si recte intelligitur perspicuitas scripturae sacrae, ex finium, quibus destinatur, ratione diiudicanda, quae non solum usum legitimum ordinemque adminiculorum necessarium requirit (§. III); verum etiam suis limitibus circumscribitur, ut doctrinae ad salutem necessariae non ubique, sed alicubi certe in sacris litteris obuia ab attento et intelligente lectore haud difficulter perspiciantur: tantum abesse deprehenditur ab hermeneutica sacra (§. III) sollicitanda, infirmanda, oppugnanda et debellanda, ut eandem potius mirifice confirmet, magnopere stabiliat, atque tam utilem cuius quam necessariam ad scientiam sanctiorem demonstret (§. V). Ipsa saltem experientia constare potest, et latius patere perspicuitatem scripturae sacrae, et euidentiore pariter ac certiore euadere, et facilius rectiusque procedere lectoris arte et scientia interpretandi subleuatam atque suffultam, quam vel vtraque vel alterutra destitutam. Quam ob rem maleuolentiam potius quam venerationem erga libros diuinitus scriptos proderet, qui sciens neque terminorum ignarus, ea inter se committere, quae apprime cohaerent et eximie conspirant, atque perhibere vellet, tantum detrahi sacrarum litterarum perspicuitati derogarique auctoritati illarum, quantum tribuatur vel utilitatis vel necessitatis hermeneuticae sacrae. Neque magis audiendi sunt, qui specioso pietatis in Deum spiritumque ipsius nomine abusi, hunc diuinitus promissum voluntatis suae doctorem et interpretem artificiali sacrarum litterarum interpretationi opponunt, cui neque artis et subsidiorum humanorum adminiculis opus esse, neque praecepta et leges ab hominibus excogitatas praescribi, atque adeo obicem poni debere opinantur. Qua in re vel insigniter falluntur, atque dum

dum semet ipsi non intelligunt longe plura et alia omnia, si vera perhiberent, argumentis suis efficerent, quam videri volunt aut ipsi perspiciunt, vel inexcusabili temeritate in ipsum Deum iniuria praeuaricantur. Nemini enim singula haec penitus et sine vocum inanium confusione apud se reputanti obscurum esse potest, et ipsam scripturam sacram his rationibus pessundari, qua certe DEVS neque indiget neque semetipsum circumscripsit; et nobis tam naturae finitae constitutione, quam DEI voluntate, innumera necessaria esse, vt in aliis rebus ita etiam in intelligendo, quibus ipsi DEO neutiquam opus est; et leges tam naturae quam artis, quas attenda obseruatione vsu et experientia edocemur, neque nostri arbitrii esse, neque DEO auctori sine sacrilegio abiudicari posse; et extraordinarium diuinitatis interuentum ad effectus vel nemini necessarios vel sine miraculo gloriae diuinae conuenientius obtinendos temere, superciliose atque arroganter requiri; et diuinitus promissam nobis Spiritus sancti institutionem ad salutarem duntaxat doctrinarum cuius necessariorum intelligentiam spectare, neque sine vsu adminiculorum facultatumque cuius concessarum peragi; et regulis interpretandi non Spiritui sancto, sensu scripturae sacrae rite perspecto tanquam indice voluntatis suae in nobis instituendis vsuro, sed humanae temeritati fingendique libidini obicem poni, nobisque a commentis caueri diuinam originem mentitis, atque innumeris grauissimisque erroribus aditum praecludi ad animos veri rectique cupidos falsa fictaque DEI auctoritate circumueniendos.

Vt DEI beneficio pleraque ad vitam communem necessaria, quae visui patent, solo oculorum et lucis vsu perspicimus, etiam si et leges opticas et structuram oculorum et remedia curandi morbos illorum nesciamus; nihilo tamen secius cum longe plura ab oculo armato tuborum et microscopiorum ope perspicuuntur, tum conformatio oculorum atque lucis visusque constitutio a rerum corporearum scrutatore, non sine multiplici detrimento et

iactura ignoratur; is vero a sana mente derelinqueretur, qui vel sine lucis adminiculo videre, vel nudo oculo ea perspicere vellet, quae subsidiis opticis conspiciuntur, quod DEVS neque oculis neque luce indigeat, neque legibus opticis fatis recenter excogitatis adstringatur: eadem plane ratione res se habet in negotio tam vniuerso intelligendi, quam peculiari perspicendi sermonis alicuius sensum, interpretandique in primis scripturam sacram; licet in eo periculosius erretur. Non id enim agitur tantum ab hermeneuticae sacrae aduersariis, vt artem scientiamque proscribant, sed vt scripturae sacrae auctoritatem diuinam detrahant. In eo certe conspirat vtrumque genus hostium reliqua diuersissimorum, tam fanaticorum hominum, quam profanorum doctrinae diuinitus reuelatae irrisorum, qui nulla re magis impediuntur quo minus, illi quidem commenta et somnia sua oraculis diuinis sufficere et immiscere, hi vero libros diuinitus scriptos traducere atque obscuritatis, confusionis, falsitatis, errorum et contradictionum insimulare cum aliqua rationis specie possint. Quidquid praeter commemorata argumenta a nonnullis obiicitur, vel ab interpretum dissensionibus desumptum, vel ab abusu regularum hermeneutarum, tam ad errores ornandos quam ad virtutis et officiorum neglectiorem, arti et scientiae imputari nequit sed vel ipsi harum regularum ignorantia et inscitiae, vel perperam et illegitime factae earundam applicationi, vel hominum vitio, qui rebus omnibus et innoxii et praestantissimis sua culpa male abuti, atque inexcusatissime praecuaricari possunt.

§. VIII.

Connexio
cum herme-
neutica vni-
uersali.

Si regulae interpretandi generaliter considerantur sine discrimine sermonum et librorum, quorum verus sensus inuestigandus sit, *hermeneuticam vniuersalem* constituunt: quae ad *hermeneuticam sacram* (§. III) se habet, vt *genus* patentius ad *speciem* arctius determinatam. Vnde consequitur, 1) vt vera inter vtramque intercedat differentia, quae tamen neque augenda perperam est, neque minuenda cum detrimento scientiae vel alterutrius vel vtriusque; 2) vt omnis haec differentia, quantacunque sit, ab obiecto pendeat, cui singulae

artes

artes et scientiae attemperandae sunt, atque adeo *materialis* fit, *formalia* vero principia communia plane eadem maneant; 3) vt plura continere debeat *hermeneutica sacra*, quam ab *uniuersali hermeneutica* iure requiruntur; 4) vt in docenda discendaque *hermeneutica sacra*, *uniuersalis hermeneuticae* leges et principia praeteriri aut negligi nequeant; 5) vt *hermeneuticae sacrae* peritus eadem opera *hermeneuticae uniuersalis* peritiam consequatur, licet huius compos factus illius expertus et imperitus manere possit; 6) vt haec illi necessaria sit, licet eandem neque inanem et superuacaneam reddat, neque compeat, vbi iure desideratur.

Perinde haec comparata sunt, vt in arte oratoria: quum generalis rhetorica non sufficiat ad oratorem sacrum formandum, cui plura opus sunt ex argumento, fine et destinatione sermonum habendorum desumenda. Hinc euenit, vt subinde hermeneuticae generalis peritissimis interpretibus, atque sagacissimis sensus difficillimorum auctorum profanorum inuestigatoribus, admotum male processerit scripturae sacrae interpretatio; in qua sui plane dissimiles fuerunt non indiligentia sed imperitia. Incausum vero hic disputaretur, vtrum rectius ad *logicam* referri, an *criticae* arti vindicari debeat hermeneutica uniuersalis: quum in scientiarum et disciplinarum terminis ponendis nullo iure certo finium regundorum utamur. Nemini tamen refragabimur, qui vel vtrique tribuere, vel ipsam *criticam* artem sub *logica* comprehendere velit; licet nimia amplificatio et confociatio scientiarum, ad stadium litterarum celerius decurrendum, veris profectibus et commodis erudiendorum magis officiat quam inferuiat.

§. VIII.

Quum ad scientiam hermeneuticae sacrae rationes regularum interpretandi scripturam sacram scitu necessariae sint (§. III): non omnino nihili nostra refert, vt fontes in numero habeantur, ex quibus hae rationes et principia efficiendi veritatem legum illarum deriuari possint et debeant. Qui triplicis generis sunt. *Vnum* absoluitur natura et constitutione linguarum, Fontes demonstrandi regulas hermeneuticae sacrae.

XIII INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

rum, quarum ope sensus auctorum sermonis vel libri cum aliis communicatur, atque originalium inprimis, quibus libri scripturae sacrae diuinitus consignati fuerunt (§. VI. I); seu *philologia* tam vniuersa et generali, quam *sacra* maxime, quae vtraque latius quidem patet quam *grammatica*, illam tamen maximopere requirit. *Alterum* genus principiorum determinandi has leges *philosophia rationali*, seu scientia *logica*, continetur, quae facultatis cognoscendi operationes dirigit ad veri certique perspicentiam obtinendam, cuius in aliorum sermonibus intelligendis disquisitione occupatur interpretatio (§. II). *Tertium*, idque princeps et potissimum, deprehenditur in ipsa scriptura sacra, adaequato hermeneuticae sacrae obiecto (§. VII), tripliciter; quum et argumentum illius, seu complexus tam doctrinarum quam narrationum in illa exhibitarum, et exempla interpretationum bene multarum, quibus oracula librorum praegressorum in consequentibus explicantur, et ipsa denique illius constitutio peculiaris tam originis et auctoritatis diuinae, quam finium quibus obtinendis destinatur, regulis interpretandi eandem determinandis apprime inseruiant.

Quamquam PHIL. MELANCHTHONIS effatum, *Theologum esse debere bonum grammaticum*, latius patet atque de significanda necessitate sollicitae curae in loquendo scribendoque adhibendae aequae valet, huc tamen inprimis spectat nititurque copulatione necessaria peritiae grammaticae cum interpretationis dexteritate, qua Theologus carere nequit. *Authentica* interpretatio particularum quarundam scripturae sacrae in aliis eiusdem partibus, pro norma et principio totius recte intelligendae, atque adeo interpretationis *doctrinalis* et *artificialis* merito habetur; obseruatis, vt par est, regulis analogiae. Quod ipsum ad rationes pertinet, cur DEVS diuersis temporibus doctrinam reuelatam in litteras referri, atque plures variorum scriptorum inspiratorum libros confici curauerit, neque vna ex postremis illarum est.

§. X.

Non eadem semper fuit artis interpretandi scripturam sacram in populo CHRISTI facies. Licet interpretatione librorum diuinitus scriptorum nunquam caruerit ciuitas sacra, neque penitus desitui possit: admodum tamen diu interpretes habuit, antequam regulae interpretandi in artem et scientiam redigerentur, eosque cum diuersis temporibus plures paucioresue, tum gradibus dexteritatis et peritiae perquam diuersos. Vetusiores primorum saeculorum doctores, quos patres vocare solemus, si ad interpretationem scripturae sacrae accesserunt, magis solliciti fuerunt de sensu obuiio illustrando et amplificando, importuna etiam allegoriarum cupiditate multiplicando, quam de regulis interpretandi diligenter animaduertendis, sagaciter obseruandis, studiose colligendis, in litteras referendis, atque in corpus seu systema redigendis. Qua in re plerisque linguarum originalium aequae ac aliorum subsidiorum ignoratio impedimento fuit, effecitque vt, quoties eiusmodi quid tentaretur, laudabile negotium vel parum procederet, vel in ipso rei feliciter gerendae ingressu subsideret. Qui hos exceperunt sequioris aetatis scriptores et temporum calamitate et inexcusabili inertia et immoderato studio compilandi sententias opinionesque patrum, quibus *catenae* scatent vna cum *postillis* ipsisque *glossis*, et introducto sensim errore standi ipsorum auctoritate in sensu scripturae sacrae constituendo, vehementer auxerunt imperitiam interpretandi, eoque rem adduxerunt vt tandem ipsos interpretes plena caperet legum interpretandi obliuio et ignorantia, cum omnium fere litterarum diuinarum humanarumque inscitia. Renatis denique DEI beneficio per occidentem bonarum litterarum, linguarum imprimis, artis criticae et scientiarum, studiis cum ineptiarum fastidio, de recuperanda scripturae sacrae interpretatione, reuocandisque postliminio regulis subsidiisque interpretandi, serio cogitari et diligenter laborari coeptum est.

Quod
cum

Conspetus
historiae her-
meneuticae.

XVI INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

cum felici successu non destitueretur, non solum sacrorum reformationem et purioris doctrinae instaurationem peperit, verum etiam debellata imperii humani in doctrinam sanctiorem iniquitate, et libertatem inuestigandi sensum oraculorum diuinorum cuius restituit, et necessitatem doctoribus imposuit, aliis approbandi et demonstrandi vindicandique interpretationes non temere sed cum ratione factas. Vnde euenit vt ipsae interpretandi regulae et magis innotescerent, atque curatius constituerentur suisque rationibus confirmarentur; et in artem scientiamque sensim rediguntur; et singulari opera tractarentur vel in locis theologicis sanctiorisque doctrinae systematibus ad articulum de scriptura sacra, vel in pleniorum scripturae sacrae interpretationum introductionibus commentariorumque prolegomenis, vel in peculiaribus artis et scientiae libris ad formandos iuandosque interpretes compositis. Quorum prouentu ecclesia nostra reliquas superauit, licet interpretationum mole et amplitudine pontificiam, bonarum vero et praestabilium multitudine reformatam non aequauerit. Ipsi tamen hi artis scientiaeque doctores bonitate institutionis, quam praecipiant, inter se mirifice differunt, prout et a subsidiis philologicis, criticis, philosophicis ac theologicis instructiores, et interpretationis multiplici vsu peritiores, et boni ordinis ac methodi tradendi disciplinas iuandique lectorum intelligentiam obseruantiores fuerunt.

Principatus illorum, qui ab omni antiquitatis *christianae* memoria in praecipendis interpretandi regulis elaborarunt, AVGVSTINO debetur, cuius libri quatuor *de doctrina christiana*, libro in primis *tertio*, et sua praeepta tradit et TICONII regulas nonnullas interpretandi examinat. Ex quo praestabili libro a GE. CALIXTO cum eiusdem *de fide et symbolo* et VINCENTII *Lerinenfis* *commonitorio* 1629 seorsim edito et 1655 recuso, IOACH. IVST. BREITHAVPT *institutionem hermeneutico-homileticam, hoc est, praeepta interpretandi scripturam sacram et concionandi, ex diui Augustini de doctrina christiana libris quatuor conquista,*
illustra-

illustrata atque ad usum accommodata conscripsit, atque primae institutionum theologicarum editioni 1695 subiunxit. Reliquorum vetustatis scriptorum, qui huc referri aliqua ex parte merentur, ADRIANI, ob *isagogen in sacram scripturam* a DAV. HOESCHELIO 1602 editam, EVCHERII, ob *instructionum ad Salonium filium libros 2*, et *formularum spiritalis intelligentiae librum ad Veranium*, qui in fine partis primae clavis flacianae comparet, IVNILII, ob *libros 2 de partibus diuinac legis*, et CASSIODORII, ob *libros 2 de diuinis lectionibus, seu de institutione diuinarum scripturarum*, censum agit IO. FRANC. BVDDEVS *isag. historico theol.* lib. 2 c. 8 §. 2 p. 1429 cet., qui ibidem §. 8-10 p. 1580; 1648 ipsos antiquitatis interpretes ad reformationis tempora enarrat. Eruditus DAN. WHITBII liber *de scripturarum interpretatione secundum Patrum commentarios*, qui 1714 prodiit, ad confutandum pontificiorum errorem, de interpretatione ex Patrum arbitrio constituenda atque ad illorum sententiam exigenda, insigniter prodest.

§. XI.

Ex libris, qui a nostratibus de interpretationis sacrae regulis editi sunt, potiores duntaxat commemorabimus, qui ob aliquam vtilitatis praestantiam prae reliquis commendabiles videntur. Eo referimus, cum MATTHIAE FLACII *clauem scripturae sacrae, seu de sermone sacrarum litterarum in duas partes diuisam, quarum prior singularum vocum atque locutionum sacrae scripturae usum ac rationem ordine alphabetico explicat, posterior de sermone sacrarum litterarum plurimas generales regulas tradit*, 1567, 1580, 1609, 1617, 1629, editionis inprimis IO. MVSAEI 1674, quam recentiores 1695 et 1719 ex recensione THEODORI SVICERI sequuntur; et SAL. GLASSII *philologiae sacrae, qua totius sacrosanctae veteris et noui testamenti scripturae, tum stylus et litteratura, tum sensus et genuinae interpretationis ratio expenditur libros 5*, qui 1623, 1634 et 1643 primum prodierunt, atque post varias editiones 1651, 1653, 1655, atque *amstelodamensem* 1694, accessione *logicae sacrae* ex msr. auctoris aucti fuerunt in editione

Syllabus potiorum hermeneutarum nostratium.

XVIII INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

tione GOTTF. OLEARII 1705, et 1713 BVDDEI, vtraque ob indicis vnitatem praestabili; quorum epitomen exhibet HENR. PHIL. HEERWARTI *scrutinium philologicum ex Salom. Glassii phil. sacra erutum*, quod adiuncta eiusdem introductione ad lectionem biblicam cum *supplem. ad scrut. philolog.* 1677 edita, cum praefatione IO. GE. PRITII prodiit 1713: tum WOLFG. FRANZII *tractatum theologicum nouum et perspicuum de interpretatione sacrarum scripturarum maxime legitima, duabus constantem regulis essentialibus et perspicuis illis, et 152 exemplis selectis et difficilioribus elucidatum* 1619, 1634, 1668, 1693, et 1708, Oxonii etiam 1707 editum; IO. CONR. DANHAVERI et *ideam boni interpretis et malitiosi calumniatoris* 1652, 1670, et *hermeneuticam sacram, seu methodum exponendarum sacrarum litterarum propositam et vindicam* 1654; AVG. PFEIFFERI et *hermeneuticam sacram, siue de legitima interpretatione sacrarum litterarum tractatum* 1684, 1687; atque in eiusdem operum, quae exstant, omnium, *Ultraiecti editorum* 1704, tomo altero p. 625 etc. exhibitam, et *thesaurum hermeneuticum, siue de legitima scripturae sacrae interpretatione tractationem, luculentam pridem editam hermeneuticam sacram, quae et integra hic repetitur, notis, quaestionibus et canonibus, adiectisque praxeos exemplis illustrantem*, posthumum a SAM. BENED. CARPZOVIO 1698 editum, 1705; et *criticam sacram de sacri codicis partitione, editionibus variis, linguis originalibus et illibata puritate fontium, interpretatione scripturae legitima* cet. 1680, 1688, 1702, 1712, operum *philolog.* tom. 2 p. 671 etc. atque emendatam et auctam a cel. IO. AND. MICH. NAGELIO 1751, ob caput quintum, quod editionis nouissimae p. 122-183 *de interpretatione scripturae sacrae* agit; AVG. HERM. FRANCKII et *manuductionem ad lectionem scripturae sacrae, vna cum additamentis regulas hermeneuticas de affectibus, et enarrationes ac introductiones succinctas in aliquot epistolas Paulinas complectentibus*, 1693, 1700, atque a

PET.

PET. ALLIXIO 1706 Londini editam, et praelectiones hermeneuticas, ad viam dextre indagandi et exponendi sensum scripturae sacrae theologiae studiosis ostendendam, cum breui et luculenta scripturam cum fructu legendi institutione pro rudioribus scripta et antea seorsum edita, 1717, et commentationem de scopo librorum veteris et noui testamenti, 1724, et introductionem ad lectionem prophetarum 1. generalem 2. specialem ad lectionem Ionaë 1724; IO. OLEARII elementa hermeneuticae sacrae cum catalogo commentatorum praecipuorum in singulos libros biblicos cum praxi hermeneutica in quibusdam exemplis 1699; IO. IAC. RAMBACHII et institutiones hermeneuticae sacrae variis observationibus copiosissimisque exemplis biblicis illustratas 1723, 1729, et commentationem hermeneuticam de sensus mystici criteriis ex genuinis principiis deductam, necessariisque cautelis circumscriptam 1728, et ausführliche und gründliche Erläuterung über seine eigene institutiones hermeneuticae sacrae aus der eignen Handschrift des seligen Verfassers mit Anmerkungen ans Licht gestellt von D. Ernst Friedr. Neubauer 1738; IOACH. LANGII hermeneuticam sacram, exhibentem primum genuinae interpretationis leges de sensu litterali, et emphatico inuestigando; deinde idiomata sermonis Mosaici, Dauidici et Prophetici nec non apostolici et apocalyplici, cum vberiori ipsius praxeos exegeticae appendice, 1733; IO. GE. ZVR LINDEN rationem meditationis hermeneuticae inprimis sacrae methodo systematica propositam, 1735, VEN. D. CHRISTOPH. WOLLII hermeneuticam noui foederis acroamaticam dogmaticam certissimis defecatae philosophiae principiis corroboratam, eximiisque omnium theologiae christianae partium vsibus inseruientem, annexam Ant. Blackwalli auctoribus sacris classicis, 1736; atque cel. IO. LEONH. RFKENBERGERI et nexum canonum exegeticorum naturalem ex Ioh. Iac. Rambachii institutionibus hermeneuticae sacrae scientifice ostensum, 1736, et librum de studio hermeneuticae sacrae, 1732.

XX INSTITVTIONVM HERMENEVTICARVM

OLEARI *Lipſienſis* hic commemoratus liber diuerſus eſt a cognominis patru *Halenſis* et *Leucopetrenſis theologia exegetica*, quae et ſeorſim prodiit et in *ſyſtemate theologiae vniuerſae* tom. 3 p. 1393 etc. comparet. Reliqua ſcripta huc referenda, ſunt, cum ven. D. IO. MART. CHLADENII *Einleitung zur richtigen Auslegung vernünftiger Reden und Schriften*, 1742, et ven. D. IOACH. EHRENF. PFEIFFERI *clementa hermeneuticae vniuerſalis veterum, atque recentiorum et proprias quasdam praeceptiones complexa*, 1743: tum IO. GERHARDI *tractatus de legitima ſcripturae ſacrae interpretatione*, qui et ſeorſim prodiit 1610, 1663, et in primo tomo *locorum theologicorum* comparet; CASP. FINCKII et *canones hermeneutici* tam in diſputationibus tribus *de canonibus, ſive regulis, axiomatibus, obſervationibus, proprietatibus et conſuetudinibus ſcripturae ſacrae* tomo quinto diſputationum *gieſſenſium* inſertis, quam in *centuriis duabus canonum theologicorum proprietatem et naturam ſcripturae enucleantium*, quae ſeorſim prodierunt, obuui, et *clauis ſcripturae ſacrae ſive de ratione ſcrutandi, legendi, intelligendi, interpretandi, tractandi, aeſtimandi, memoria facile comprehendendi vniuerſam ſcripturam ſacram libri ſex*, 1618; HERM. VON DER HARDT et *grammaticae exegeticae fundamenta*, 1691, et *exegeſeos vniuerſalis elementa, pro legendis omnis generis veteribus ſcriptis, ſacris et exteris*, 1691, 1708; IO. WIL. BAIERI *compendium theologiae exegeticae*, 1699, poſthumum; IO. BEN. CARPZOVII *theologia exegetica*, 1701, aequae poſthuma; IO. AND. SCHMIDII *compendium theologiae exegeticae*, 1711; FRID. WERNERI et *praecepta theologiae exegeticae de hermeneutica ſacra*, 1708, et *clauis ſcripturae ſacrae ſeu praxis theologiae exegeticae*, 1736; VAL. ERN. LOESCHERI *brouiarium theologiae exegeticae*, 1719; atque MART. CHLADENII *inſtitutiones exegeticae*, 1724. Longe plures enarrantur a RAMBACHIO et NEUBAVERO in *illuſtrationis inſtitutionum herm. ſacrae* tom. I p. 27-38, et a MICH. LILIENTHAL in libro, qui *theologiſch-homiletiſcher Archiuarius* inſcribitur, p. 6 etc. et p. 53 etc.

§. XII.

Aliarum eccleſiarum ſcriptores.

Ex reſormatae eccleſiae doctorum laboribus commemorandi ſunt, tum AND. RIVETI *iſagoge ſeu introductio generalis*

in scripturam sacram veteris et noui testamenti, quae et seorsim prodiit 1627, et in operibus 1652 editis tom. 2 p. 481 etc. deprehenditur; IO. HENR. HOTTINGERI *thesaurus philologicus seu clavis scripturae* 1649 et 1659, libri imprimis 2 c. 2 sect. 7 de *scripturae sacrae sensu, explicatione et applicatione*; et AER. GVLICHII *hermeneutica sacra bipertita, artis praeceptiones de ratione interpretandi tum s. scripturam vniuerse, tum speciatim prophetias summatim explicans*, quae *theologiae propheticae praepositur* 1675; tum LVD. WOLZOGEN et libri duo de *scripturarum interprete aduersus exercitorem paradoxum* 1667, et *orthodoxa fides siue aduersus Iohannem de Labadie censura censurae medioburgensis in libellum de interprete scripturarum*, ipse libellus secunda editione praemissus est 1668; IO. VAN DER WAYEN *pro vera et genuina reformationum sententia, praesertim in negotio de scripturae interprete*, libri 3 *aduersus Lud. Wolzogenium*, 1669; et MATTH. NETHENI *tractatus de interpretatione scripturae, siue iudicium de libro Lud. Wolzogii, continens 1. orthodoxam de interprete et interpretatione scripturae doctrinam, 2. Wolzogii ab ea exorbitationes et 3. alios quosdam generales naeuos libri ipsius*, 1675; tum MELCH. LEYDEKKERI *fax veritatis, seu exercitationes ad nonnullas controuersias etc.* 1677 loc. 2 p. 24 etc.; IONCOVRTI et *entretiens sur les differentes methodes d'expliquer l'écriture et de precher de ceux, qu'on appelle Cocceiens et Voetiens dans les provinces vnies, où l'on voit, quel temperament on doit apporter dans l'explication des types, des allegories, des periodes, des propheties et d'autres choses de ce genre, avec un portrait des ebraizans et de leurs erreurs*, 1707; et *nouveau entretiens sur les differentes methodes etc.* 1708; atque IO. BRAVNII *auertissement necessaire aux eglises sur les entretiens de Ioncourt* 1708: *ex Arminianis*, IO. CLERICI et *ars critica* 1697, cuius quarta editio auctior 1712 prodiit, et *dissertatio de optimo genere interpretum S. Script.* quae *commentario in pentateuchum praenititur*, et *Liberii de Sancto Amore epistolae theologicae, in quibus varii*

D

schola-

scholasticorum errores castigantur 1679; et *sentimens de quelques theologiens de Hollande sur l'histoire critique du vieux testament*, composée par le P. Richard Simon, ou en remarquant les fautes de cet auteur, on donne diuers principes utiles pour l'intelligence de l'écriture *ainte*, 1685, et *defense des sentimens etc.* 1686: ex Pontificiis vero SIXTI SENENSIS bibliotheca sancta saepissime edita, cuius tertius liber seorsim prodiit sic inscriptus *Ars interpretandi sacras scripturas absolutissima*, cui coronidis instar accesserunt S.S. Patrum regulae 234, et canones 372, F. Francisco Ruizio, Vallisoletano, et F. Ioanne Hoffmeistero collectoribus, ad sacras litteras recte citoque perdiscendus inprimis necessarii, 1577, 1588; atque *regles pour l'intelligence des S. Ecritures* 1716, quae diu pro D' ASFELDII labore habitae sunt, rectius vero IAC. IOS. DVGIVET auctori tribuuntur, et a IO. FRID. BACHSTROM germanice redditae prodierunt, *gründliche Anweisung, oder Regeln, wie man die Weissagungen der heil. Schrift überhaupt recht verstehen, auch auf Christum und seine Kirche deuten solle.*

IO. ALPH. TURRETINI de sacra scripturae interpretandae methodo, *tractatus bipartitus; in quo falsae multorum interpretum hypotheses refelluntur, veraque interpretandae sacrae scripturae methodus adstruitur*, 1728, *Traiecti Thuriorum seu Dordraci*, incerto neganteque auctore prodiit. Liber a WOLZOGIO ita confutatus ut maioris, quam par est, consensionis suspicionem fecerit, 1666 primum prodiit, inscriptus: *Philosophia scripturae interpres, exercitatio paradoxa, in qua veram philosophiam infallibilem s. litteras interpretandi normam esse, apodictice demonstratur et discrepantes ab hac sententiae expenduntur ac refelluntur*, de cuius erroribus, auctore, editionibus et versione belgica vberius agitur in *commentar. de bibl. balens.* vol. 3 p. 113-123. IONCOVRTIVM praeter BRAVNIVM oppugnauit SAL. VANTIL in *antidoto viperinis morfibus D. I. opposito*, 1707, et *le Chef der moqueurs demasqué par Neophile L' Aletée*, 1707. CLERICVM adgressus est IO. HENR. MAIVS in *examine artis criticae Io. Clerici, quod repetito examini historiae criticae textus non. test.* 1699 subiungitur; et IO. IVST. VON EINEM in *diff. praelimin. de Io. Clerici audacia hypercritica in sacris, tortura hermeneutica, et noua quidem, sed falsa S.S. interpretandi methodo, ad select. animaduers. ad Clerici scripta.* RVIZII regulae intelligendi scripturas sacras seorsim prodierunt 1546, 1547, 1599 et 1611 atque *ἀνορθώτως* 1553: HOFFMEYSTERI vero canones suae clauae aliquot ad interpretandum sacras bibliorum scripturas,

1545 et 1572. Praefatio libri, regles pour l'intelligence des S. Ecritures, fatis prolixa paginarum 34 D' ASFELDIO debetur. Ipsum scriptum acerbum vituperatorem habuit personatum R. Ismaelem Ben Abraham, qui Lutetiis 1723 edidit *Mouaacah, ceinture de douleur, ou refutation du livre intitulé, regles pour l'intelligence des saintes ecritures*; quem, a IO. CHRISTOPH. WOLFIO *biblioth. hebr.* vol. 3 p. 624 etc. *Iudaeis* adnumeratum, STEPH. FOURMONTIVM fuisse constat. Hunc sine responsione relictum secutus est 1727 seuerior aduersarius, qui edito libro, sic inscripto, *Refutation des Regles pour l'intelligence des saintes ecritures sensum litteralem defensum* iuit, cui se opposuit *Lettre d'un Prieur a un de ses amis, au sujet de la nouvelle refutation du livre des regles etc.* sub qua dignitatis denominatione De Fourquevaux latuit, qui eidem oppugnatore iterum in aciem progresso in *traité du sens literal et du sens mystique des saintes ecritures, selon la doctrine des Peres*, denuo obuiam processit, quatuor epistolis inscriptione, *lettres nouvelles d'un Prieur etc.* 1729 editis. Ex reliquis earundem partium scriptoribus huc pertinent cum SANT. PÄGINI *isagoge ad sacras litteras*, HENR. MARCELLI *canones explicandae scripturae, et ars interpretandi scripturas, quae parte 2 sapientiae pacificae exhibetur*, et IOS. AGOSTAE *de vera scripturas interpretandi ratione, ac de Christo in scripturis reuelato libri tres*, quos REN. IOS. TOVRNEMINE Menochio suppleto 1719 adiecit, vna cum IAC. BONFRERII *praeloquiis in totam scripturam sacram*, quorum c. 20 de *sacrae scripturae interpretatione, eiusque variis sensibus agitur*; tum RICH. SIMONII *et histoire critique du vieux testament* 1678, quam editionem sequitur et latina et anglicana versio, et 1685, et *histoire critique du texte du nouveau testament* 1689, et *hist. crit. des versions du nouv. test.* 1690, et *hist. crit. des principaux commentateurs du nouv. test.* 1693, et *Reponse de Pierre Ambrun à l'hist. crit. du v. test.* 1685, et *opuscula critica aduersus Is. Vossium* 1685, et *Hier. le Camus iudicium de nupera Is. Vossii ad iteratas P. Simonis obiectiones responsione* 1685, et *reponse au livre intitulé, sentimens de quelques theologiens d'Hollande etc. et l'inspiration des livres sacrés, avec une reponse au livre intitulé, defense des sentimens de quelques theologiens de Hollande, et nouvelles observations sur le texte et les versions du nouveau test.* 1695; cui opposuit IO. HENR. MAIVS et *selectiores diss. 4 de scriptura sacra* 1690, et *examen historiae criticae textus noui test.* 1694, et *repetitum examen* 1699; *augmentum introductione ad studium philologicum et exegeticum, qua non solum succincte ac perspicue solida praecepta traduntur, sed etiam periculosaes hypothesis recentiorum auctorum indicantur et refutantur, quae tomo I selectiorum exercitationum philolog. et exegeticarum etiam inserta est. Regulas interpretandi, quas AVGVSTIN. CALMET exhibuit in introitu bibliothecae sacrae, quae cum lexico biblico prodiit, breuius examinavit IO. FRANC. BYDDEVS in praefatione ad RAMBACHII instit. herm. sacrae, vberius vero ven. WOLLE in examine regularum hermeneutarum, quas Calmetus ciuitati christiana commendaui* 1733. De regulis hermeneuticis

XXIII INSTIT. HERMENEVT. INTRODVCTIO.

Iudaeorum agit THEODORIC. HACKSPANIVS in tractat. de usu librorum rabbinicorum adiecto R. LIPMANNI triumpho seu Nirzabon 1644 edito, et copiosius cel. AND. GE. WAEHNERVS in antiquitatibus Ebraeorum sect. 2 c. II etc. vol. I p. 353 etc. Quantopere praeuaricaretur BEN. SPINOZA in tractatu theologico-politico, cuius argumentum et historia enarratur in comment. biblioth. halens. vol. I p. 58 - 74, ubi cap. 7 de interpretatione scripturae sacrae agitur, declaratum iuit GE. BERNH. BÜLFFINGERVS in disert. qua in Ben. Spinozae methodum explicandi scripturas sacras breuibus notis animaduertit, 1732.

§. XIII.

Index capitulum harum institutionum.

Si opera datur sollicitate, vt in omni regularum interpretandi ambitu nihil vel redundet superflui vel deficiat necessarii, singula vero ordine naturali reique conuenienter tractentur, vniuersa doctrina de formando interprete scripturae sacrae commode dispescitur in decem capita, vt primo agatur de sensu scripturae sacrae; secundo, de significationibus vocum et locutionum seu phrasium in textu obuiarum; tertio, de rebus historicis ad textum pertinentibus seu circumstantiis; quarto, de connexionione et analysi textus; quinto, de fine seu scopo auctoris sermonum explicandorum; sexto, de ipso textus argumento seu explicatione rerum in illo propositarum; septimo, de emphasi sermonis sacri phrasiumque illius; octauo, de coniectariis et porismatibus sensus eruti; nono, de potioribus problematibus hermeneuticis; et decimo denique, de exercitationibus hermeneuticis, ad formandum interpretem profuturis.

Importuni sunt et perperam operosi, qui in praecipendis interpretandi regulis occupati eruditae et opportune suoque loco non mediocrem vtilitatem lauris digressionibus vel per philologiae et criticae sacrae doctrinas et controuersias vagantur, vel ad prima principia logica et metaphysica disquirenda recurrunt, vel ad censum interpretum agendum progrediuntur, vel dogmata sanctorum explicatum confirmatumque eunt, vel sola exemplorum recitatione interpretationes enarrant, atque improbo et inofficioso labore efficiunt, vt alia omnia agendo, rei, quam agere debuissent, immemores et incurii fuisse videantur. Rationes et distinctionis harum partium et ordinis, quo se excipiunt, ad singularum ingressum et tractationem commodius reddi poterunt, quam hic occupari.



153596

8

AB: 153596

X 2261989

188





HER

SC

B

SI

MGARTEN

ONVM

CARVM

IMA

TIONE

SACRAE

NEVTICI

ENA.

MDCCLII.



Farbkarte #13

B.I.G.

Centimetres

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black